
294

C


23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

294 C23

EXERCITATIO PHILOSOPHICA
DE
ANNO SECULARI CIƆ IƆ CC.

QUAM,

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

M. GERARDI de VRIES,

Philoſophiæ Doctoris, ejuſdemq; Facultatis in Illuſtri Academia Ultrajectina Profeſſoris Ordinarii,

Publicè ventilandam proponit

LEONARDUS BLOM, Rheno-Traject.

Ad diem XXVII. *Novemb. horis locoque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi, cIɔ Iɔ cc.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Clariſſimo ac Celeberrimo

VIRO,

D. GERARDO de VRIES,

Philoſophiæ in hac Illuſtri Academia Ultrajectina Profeſſori Ordinario, Præceptori meo deſideratiſſimo, optimo, facillimo, Studiorum meorum in Philoſophia duci ac moderatori ſapientiſſimo, prudentiſſimo, a me, dum ero, omni amore colendo,

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Haſce Theſes dicatas volo

LEONARDUS BLOM,
Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

DE

ANNO SECU-LARI CIϽ IϽ CC.

THESIS I.

QUÆ ſit diſciplinarum Mathematicarum, Geometriæ inprimis & Arithmeticæ, in formandis concluſionibus, tum evidentia, tum certitudo, nemini, qui vel a limine ſalutavit, latere poteſt. Tanta profecto, ut ſileat in hiſce lis omnis & contradicendi libido; quæ Philoſophiam aliam quamcunque tam ſine menſura & modo reddidit impeditam, ut ſæpe, quid altero veroſimilius ſit, optima quoque atque exercitatiſſima ingenia vix tandem intelligant.

II.

Interim, quo doctrinæ de magnitudinibus atque numeris major eſt certitudo, eo quicunque in illa ex leviſſimo nonnunquam neglectu, committuntur errores, & graviores ſimul ſunt & ineptiores. Novimus omnes, ſi ex minima incogitantia in conficiendarum rationum initio vel in monade quis fuerit lapſus, ſupputationem univerſam, quo longius progreditur, hoc magis evadere ab omni vero remotiorem; exituram quandoque in errorem, quem rationis compotem hominem errare potuiſſe, merito miremur.

III.

Fidem dictis abunde facit, qui nunc ad finem properat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Annus hic noſter Secularis, a nato humani generis Soſpitatore vulgari æra nobis numeratus Millesimus Septingentesimus. Is, num quotus numeratur, vere ſit? Aut, Intercalaris utrum habendus, nec ne? ſimiliaque, non niſi longis ambagibus ex interioribus accuratioris Aſtronomiæ & Chronologiæ receſſibus eruenda (ſi quoque humano ingenio eruenda unquam) vocarentur in dubium, etiam ſpeciem habere poſſet, quia ingenioſus, error.

I V.

At vero alterius longe indolis controverſiam hiſce diebus moverunt nonnulli: Num ſcilicet qui labitur annus, quique a nato Chriſto ſcribitur nobis CIↃ IↃ CC, habendus ſit inclinati ſeculi ſeptimi-decimi ultimus; an vero inchoati ſeculi octavi-decimi primus? Mira profecto, vel ipſo verborum ſono, primoque ſui intuitu, quæſtio! Eo nempe altercando nunc devenimus, ut de ſeculi annis ſit controverſandum; quos etiam puer, qui centum ſaltem numerare novit, vel digitis ſuis quoties volet computaverit.

V.

Quamobrem & vix operæ pretium videri poſſet, quicquam contendiſſe ſuper re, quæ, ſimplici numerorum collectione omnium manifeſtiſſima, diſputando obſcuratur; niſi quoſdam in hoc calculo ponendo etiamnum intricatos haberet ſuus error: quos non inſuave erit obſervaſſe annum ſurrexiſſe juſto maturius, aut, ſi mavis, una nocte totum annum dormiviſſe, quaudo ſibi aliiſque Kalendis Januariis labentis anni gratulati fuerunt in ſeculum novum incolumem introitum.

V I.

Nil moror multiplicem vocis uſum; tam diverſum, ut, quid ſit *Seculum*, nondum ad ſubtile examinatum putet Cenſorinus, in eleganti de Die Natali libello. Interim ipſe duplex inibi ponit: Civile, quod illi notat ſpatium humanæ vitæ longiſſimum; & Naturale, tempus quod Romani centum annis definiverunt. Quo ſenſu & Feſto ſeculum eſt centum annorum ſpatium, Cujuſmodi temporis menſura calculo chrono-

nolo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

nologico longe convenientior, quam breves illæ Olympiadum atque Luſtorum periodi.

V I I.

Habet nempe neſcio quid Arithmetici myſterii numerus denarius, quo quantavis multitudo exprimi poteſt commodo atque perfacili compendio. Unde & gentibus quibuſvis alicujus ingenii & artis, ubi ad denarium numerando ventum eſt, redit denarius denario additus; donec decies decimo compleatur centenarius; ipſoque decies repetito millenarius; quem progreſſum per denarios in infinitum multiplicare licet. Qua de cauſa, cum Proclo, denarium recte dixeris numerum circularem, atque omnium numerorum finem.

V I I I.

Etſi vero metiendis temporum ſpatiis admodum oportuna ſit menſura annorum decies decem, ſive ſeculi; ad confuſionem evitandam parum tamen illa juvat, niſi fixum aliquod & immotum ſtatuatur ſeculorum initium atque caput. Quale nobis Chriſtianis receptum Natalis Servatoris noſtri Jeſu Chriſti; qui poſtquam, *Ceu nova progenies, cœlo demiſſus ab alto*, tam aliam faciem induere cœpit orbis terrarum, ut jure meritiſſimo inde fuerit *Magnus ab integro ſeclorum conditus ordo*.

I X.

Ut profecto mirum, atque haud ſine Numine accidiſſe videatur, quod primis Chriſtianis, cum tam variis uſi fuerint æris, nil hujus rei venerit in mentem, ante Dionyſium Exiguum, Abbatem Romanum, qui ſeculo demum ſexto, Juſtiniano Imperatore, æram natalis Chriſti primus excogitaſſe, eamque æræ Diocletianæ, ſive Martyrum, tunc communiſſimæ, ſubſtituiſſe traditur: labente tamen ſeculo adhuc uno alterove, priuſquam hic Dionyſii computus communi Chriſtianorum ſuffragio fuerit receptus.

X.

In illo, prout hodie tot jam ſeculis fuit uſitatus, quicquam mutare velle, propter ἀναχρονισμὸν paucorum forte annorum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

quo ejus initium a vero Chriſti natali Chronologorum pene omnium judicio recedit, nimium profecto diligentis foret. Tot nimirum a nato Servatore ſecula Dionyſii tempore jam lapſa erant, tot iterum ab ætate Dionyſii ad hanc noſtram, ut neque illius induſtriæ fuerit, nulla parte hic erraſſe; neque noſtræ, ſumma exactitudine, ſi quid ille erraverit, emendare.

X I.

Quæ monuiſſe fuit operæ pretium, ut occurreremus iis, qui autumant, annum qui labitur facile evinci ſeculi, non ruentis ultimum, ſed novi primum; quia non deſint, qui contendunt, veram Dionyſii æram incipere ab initio anni, cujus exeunte Decembri Dominus ſupponitur natus; vulgarem vero, quam ſequimur, ab initio anni iſtum excipientis. Per quæ Dionyſii æra vulgarem antecederet annum; atque annus labens, quem vulgaris æra habet ſeculi XVII. ultimum, vere foret XVIII. primus.

X I I.

Equidem (quicquid fuerit de hac æræ Dionyſianæ a vulgari diſtinctione; quam linquo ſuo loco) cum dies XXV. Decembris, vulgo habitus Domini natalis, ſeptiduo tantum diſtet a Kalendis Januariis anni ſequentis, admodum videtur probabile, non ſeptem dierum cauſa totum annum ad æram Chriſtianam fuiſſe aſſumtum; ſed potius initium illius fixum fuiſſe in Kalendis quas dixi, haud aliter ac ſi ipſis Chriſtus fuiſſet natus; uti optimos Chronologos in ſuis Canonibus Chronicis fixiſſe quoque videmus.

X I I I.

Verum nil horum quicquam ad rhombum. Tantum, utrum annus qui fluit terminet ſeculum, an inchoet? diſputatur; ſecundum illum nempe annorum & ſeculorum ordinem, quem numeramus ex æra vulgari: de qua emendanda hic nulla lis eſt. Si foret, non jam, an hic annus ſeculi decimi-octavi primus eſſet, ſed an non potius ſecundus, quærere oporteret; cum, ex ſententia plerorumque celebriorum Chro-

Chronologorum, æra noſtra vulgaris biennii defectu peccans, annum hunc numeret CIↃIↃCC, loco CIↃIↃCCII.

XIV.

Igitur, iſtis miſſis, in hoc inquiramus, utrum ſeculo æræ vulgaris decimo-ſeptimo terminum jam impoſuerit momentum ultimum anni præteriti, dicti CIↃIↃCXCIX; an vero terminum demum illi impoſiturum ſit ultimum momentum hujus anni, quem ſcribimus CIↃIↃCC? Utrum horum ſit, ut pateat, ad primum æræ vulgaris ſeculum optime recurremus; cujus vero termino reperto, de illo ſequentium ſeculorum, etiam noſtri hujus (omnium enim quæ primi hac parte ratio eſt) nil erit laborandum.

XV.

Ajo autem, primi ſeculi annnm ultimum omnino fuiſſe ipſum illum qui ſcribebatur, non nonageſimus nonus, ſed centeſimus. Ad cujus aſſertionis veritatem clare ob oculos ponendam, via omnium breviſſima mihi videtur, tantum ſi, quis primi ſeculi primus annus & habendus & quoque habitus ipſo facto fuerit, qua decet diligentia attenderimus. Hoc enim reperto, eſt ſolum ut inde numerando progrediamur, donec in centeſimum annum inciderimus; cujus ultimo momento ſeculum claudi, hinc inde conceditur.

XVI.

Primus vero annus, qui tanquam prima pars centeſima ad ſeculum conſtituendum concurrit, alius eſſe nequit, quam cujus initium cum ſeculi initio idem fuit. Cum enim omnes partes ſimul ſumptæ idem ſint quod totum, etiam aliud totius quam primæ partis, aliud primæ partis quam totius, initium eſſe non poteſt. Atqui jam obſervavimus, æram noſtram Chriſtianam vulgarem caput & initium ſui habere Natalem Domini, compendii cauſa in Kalendas Januarias proximas, uti dixi, rejectum.

XVII.

Quandoquidem igitur primum ſeculum noſtræ eræ fluere cœpit, ſimulac Servator natus fuiſſe ſupponitur, noſque primi

mi anni initium cum ipſius ſeculi initio unum idemque fuiſſe, jam oſtendimus; utique etiam primi anni initium ad idem illud nati Domini momentum referendum omnino venit. Cumque annus notet fluxum temporis ab initio Januarii ad finem Decembris, etiam quodcunque a Chriſto nato inter hos terminos interceſſit temporis ſpatium, vere & accurate primus receptæ æræ annus dici & haberi debet.

XVIII.

Cujus ratiocinii evidentia tanta eſt, ut nemini latere poſſit. Quid ergo? Tenebras illi offundere qui diſſentiunt nituntur, argutando, primum annum vere numerari atque ſcribi non potuiſſe, niſi poſtquam completus fuit, lapſo ultimo Decembris die. Sed merus is in verbis luſus. Quam enim certum eſt, primum annum ut completum & præteritum ſcribi non potuiſſe, ante Decembris terminum; ita haud minus eſt perſpicuum, primum annum ut labentem præſentemque numerari omnino debuiſſe, ab ipſo ſui a nato Chriſto initio.

XIX.

Annos autem ſeculi, non completos, ſed labentes, in omni æra numerandos, res ipſa loquitur. Cum enim anni ſeculi ſumantur ut menſura rerum, quæ anno ad quem referuntur coextiterunt; completi certe numerari nequeunt, quorum, ceu præteritorum, hoc officium eſſe non poteſt. Quare & Chronologis atque Hiſtoricis ad unum omnibus receptum eſt, res geſtas deſignare anno, non qui præterierat, ſed qui, dum acciderunt, fluebat. Quo ſenſu & omnes, v. c., Chriſtum primo ſeculi anno circumciſum, fatebuntur.

XX.

Si & fateantur quibuſcum contendimus; accurate ſcribi & numerari quoque primum ſeculi annum, etiam non completum, fateantur nobiſcum, neceſſe habent. Si vero perperam ita fieri autument, dicant, obſecro, quo ergo primi ſeculi anno Servator v. c. circumciſus, in templo a Simeone ulnis exceptus, &c. fuerit? Aliquo ſane iſtius ſeculi anno

hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

hæc accidiſſe, ſi ſaltem iſto ſeculo acciderint, neceſſe eſt; cum nullum ſeculi momentum dari, quod non ad aliquem ſeculi annum pertineat, ſit clariſſimum.

XXI.

An vero mallent novæ accurationis magiſtri, dici debere, Chriſtum fuiſſe circumciſum, non primo nativitatis anno; ſed octavo potius nativitatis die? Atqui, qui temporis partes numerari volunt, non labentes, ſed completas, neque octavo die Dominum circumciſum dicere poſſunt, cum, non exacto, ſed labente die octavo circumciſus fuerit. Ut ergo circumciſio recte dicitur accidiſſe die octavo, quia incidit in aliquam octavi diei partem, ſive horam; ita eadem recte dicitur facta primo anno, quia facta aliqua primi anni parte, ſive die.

XXII.

Inſto preſſius. Si dici non debeant eveniſſe primo anno a nato Servatore, quæ geſta ſunt illo fluente, necdum completo, multo minus eadem eveniſſe dici debebunt primo ſeculo. Quoniam enim res ante completum illum annum geſtæ a complemento primi ſeculi centuplo longius diſtant, quam a complemento primi anni; etiam, ſecundum illorum hypotheſin, longe erit abſurdius, ea dicere accidiſſe primo ſeculo, quam primo a nato Servatore anno. Quod quid aliud eſt, quam omnem omnis æræ computum funditus evertere?

XXIII.

Quia vero ultimum hoc mire urget, id illuſtrare juvat, ut vel imperitiſſimus rem omnem manibus quaſi palpet. Necem Johannis Baptiſtæ, Pauli converſionem, Excidium Sacræ urbis, quæque hujus commatis plura, nemo profecto eſt, quin, conſentiente omni chronologorum choro, eveniſſe fateatur primo vulgaris æræ, ſive a nato Servatore, ſeculo. At vero hæc omnia contigiſſe conſtat, non completo, ſed fluente, ſeculo primo. Ergo & omnium conſenſu ſeculum, etiam fluens, habetur primum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

X X I V.

Jam vero, eandem numerandi rationem obſervari in deſignandis quibuſvis temporis partibus, ſive fuerint ſecula, ſive anni, ſive menſes, ſive dies, ſive horæ, cum & rei natura poſcat, & omnibus ſcriptoribus conſtanter obſervetur; etiam profecto quæ noſtra æra ſeculum, quod a nato Chriſto ſumſit initium, etſi non completum, ſed adhuc fluens, tamen vere numerat primum, eadem æra etiam annum, qui a nato Chriſto ſumſit initium, etſi non completum, ſed adhuc fluentem, ex vero & accurate numerat primum.

X X V.

Neque dictis quicquam detrahit argutiola, qua inferunt, horam tamen diei, v. c. duodecimam non numerari niſi ad duodecimum campanæ pulſum; quo tamen audito lapſam & impletam eſſe conſtat. Etſi enim ante illum pulſum duodecimam impletam nemo recte dixerit; tamen, etiam ante impletam quicquid geritur poſt ultimum pulſum undecimæ, hora duodecima geſtum debere dici, vel inde patet, quod punctum inter utrumque pulſum medium, media duodecima vere ſit & recte dicatur.

X X V I.

Deſino, quæ poſſem, addere plura. Satis jam dudum ſuperque diſputatum, ad evincendum quam clariſſime, neque uno modo, & ſecundum rei veritatem, & ſecundum modum computandi hiſtoricis & chronographis quibuſcunque uſitatum, anno æræ vulgaris primo accidiſſe, quicquid accidit ab initio Januarii, quo Dominum natum ſupponimus, ad finem uſque proximi Decembris; adeoque hunc quoque annum, etiam fluentem, non adhuc completum, vere & accurate dici & numerari primi ſeculi primum.

X X V I I.

Quibus ad ſertis, facile eſt univerſæ diſputationis adſtringere nodum. Repeto ex conceſſis: Seculum eſt centum annorum ſpatium. Reſumo ex demonſtratis: Annus qui a primo Januarii die, ſuppoſito Chriſti natali, fluere incepit, ita

ſcribitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

ſcribitur primi ſeculi annus primus, ut ejus initium, ſive primus Januarii dies, ſit ipſum primi ſeculi initium. Concludo: Ergo etiam annus qui a primo centeſimi Januarii die fluere incepit, ita ſcribitur primi ſeculi annus centeſimus, ut ejus finis, ſive ultimus centèſimi Decembris dies, ſit ipſe primi ſeculi finis.

XXVIII.

Subſumo denuo: Quandoquidem, ut ante notavimus, omnium quæ a nato Chriſto fluxerunt ſeculorum, reſpectu ſui principii & finis, eadem plane quæ primi ſeculi eſt ratio, etiam noſtri decimi-ſeptimi ſeculi eadem neceſſario quæ primi ſeculi hac parte ratio erit. Atqui jam demonſtratum, Annum illum, qui a primo die centeſimi menſis Januarii fluere incepit, ita ſcribi primi ſeculi annum centeſimum, ut ejuſdem anni finis ſive ultimus centeſimi menſis Decembris dies, ſit ipſiſſimus ejuſdem primi ſeculi finis.

XXIX.

Ergo, ut tandem abſolvam, demonſtratum pariter eſt: Annum illum, qui a primo die milleſimi & ſeptingenteſimi menſis Januarii fluere incepit, ita ſcribi ſeculi decimi-ſeptimi a nato Servatore annum centeſimum (ſive, quod eodem redit, ita ſcribi annum milleſimum ſeptingenteſimum) ut ejuſdem anni finis, ſive ultimus milleſimi ſeptingenteſimi menſis Decembris dies, (id eſt, dies ille, qui ſcribetur brevi ultimus Decembris CIↃIↃCC) ſit ipſiſſimus ejuſdem ſeculi decimi-ſeptimi finis. Quod ipſum conficiendum ſuſcepimus.

XXX.

Auctoritates, quarum in hoc quæſtionum genere magna procul dubio vis eſt, ſubjicio nullas; tam ſunt copioſæ. Quotquot licuit attendere æras, canones chronologicos, annales, rationaria, faſtos, omnes quam aſſeruimus ineunt temporum rationem. Ipſa conſentit quam maxime Romana, cum ſuo Pontifice, Eccleſia; cujus in numerandis accurate ſeculi annis non poteſt non putari tanto exactior diligentia, quanto eſt ejuſdem in celebrando anno ſeculari, tanquam orbis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Chriſtiani Jubilæo, major ſolennitas atque pompa.

XXXI.

In Bulla certe, qua Innocentius XII. promulgavit Jubilæum, hoc quoque argumento ad ejus celebrationem invitantur Chriſtiani, quod illos deceat ULTIMO ANNO CUJUSQUE SECULI æternæ & per omnia ſecula duraturæ vitæ beneficium diligentius ad animum revocare. Quare & vapulaſſe narrant Cameræ Apoſtolicæ Typographum, quod in præfatione Diarii Romani annum labentem CIϽIϽCC. habuiſſet ſeculi decimi-octavi primum; monitumque, talem demum futurum annum proximum CIϽIϽCCI. Quæ eadem noſtra ſententia, hactenus confirmata. Nunc manum de tabula!

Ita Tuo nutu volvimur de ſeculo in ſeculum, ſeculorum conditor, Jehova Deus! Tu Eccleſiæ, Patriæ, Academiæ, omnibus bonis, lætum eſſe jube, quem ſperamus propediem, in novum ſeculum introitum! Lætiorem, Te quæſumus, quam promittere videtur exeuntis ſeculi facies; quo mota quaſi loco, quibus aliquot abhinc ſeculis ſtetit libratus noſter orbis, pondera. Sic ſunt omnibus hujus ſeculi imperiis ſua ſecula. Tuus vero ſtabilis, ſeculorum Pater! a ſeculo in ſeculum thronus: Regnumque Tuum omnium ſeculorum regnum; cui neque Solis Lunæque ſecula ponunt metam. Fortunati, qui illi jam ante tempora ſeculorum tua gratia adſcripti cives, Tibi ſeculorum Regi accinent laudem atque gloriam in ſeculorum ſecula!

FINIS.

An-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Annexa Reſpondentis.

I.

Divinæ independentiæ & noſtræ a Deo dependentiæ recte habita ratione, bene conſtituta erit Pneumatica, quin totum Jus Naturæ.

II.

Notitia Dei noſtræ menti innata mera Dei ideam formandi facultate non abſolvi videtur; neque etiam poſita eſſe in actuali repræſentamine.

III.

Idea Dei ab ipſa mente formari videtur: neque ideo tamen notitiam Dei innatam tolli, exiſtimari debet.

IV.

Deus per ſuam independentiam dici poteſt a ſe negative, non poſitive.

V.

Cumque hæc independentia ſit quaſi notio formalis ipſius Dei, male ſtatuuntur duo tantum proprie loquendo in Deo attributa, intellectus & voluntas.

VI.

Spiritus a Corpore diſtinctio ex cogitatione recte demonſtrari poteſt.

VII.

Ejus tamen rationem formalem ſola cogitatione abſolvi, non auſim aſſerere.

IIX.

Omnium rerum ideæ ab ipſa mente formari videntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

IX.

Quapropter male dicuntur innatæ; quia omnis idea eſt actualis mentis modus.

X

Qui omnis cum ſit finitus, ſequitur ſua ſponte, Dei ideam omnium aliarum in noſtra mente eſſe obſcuriſſimam.

XI.

Recordatio per ſe cerebro non indigere videtur.

XII.

Fides eſt habitus ad intellectum proprie pertinens.

XIII.

Ejus autem certitudo non recte dicitur a Ratione pendere.

XIV.

Studium Juris Naturalis ingentem habet utilitatem in omni vitæ genere.

XV.

Si non daretur Jus Naturæ, jus civile careret omni fundamento.

. XVI.

Impropria nimis eſt famoſa definitio: Jus Naturæ eſt, quod natura docuit omnia animantia.

XVII.

Non datur proprie Jus Gentium, a naturali diſtinctum.

XIIX.

Juris Naturalis præcepta omnia ac ſingula non videntur eſſe immutabilia.

XIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

XIX.

Sed in quibuſdam diſpenſatio obtinere poſſe videtur; quæ ſoli Deo competit.

XX.

Jus Conceſſivum non meretur dici jus; neque Permiſſio ad Legem pertinet.

XXI.

Lex naturæ ſtricte dicta Lex eſt, quippe quæ omnes legis habet conditiones.

XXII.

Lex Moſaica (ſive Decalogus) eadem eſt cum lege naturali, quoad ſubſtantiam.

XXIII.

Jure naturali ex nudo pacto datur actio.

XXIV.

Deus an poſſit affligere creaturam innocentem? Diſt.

F I N I S.

A D

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

AD

Eximium Virum - Juvenem

D. LEONARDUM. BLOM.

Cum Celeberrimi Philoſophi

D. GERARDI. DE. VRIES.

Cogitata de Seculi fine *ſtrenuè defenderet.*

Solerti calamo quis jam ſit *Terminus 'AEvi*
VRIESIUS oſtendis, diſſidiumque levas.
Sic TU materiam ſumis, quae viribus aequa
Exiſtit VESTRIS; ingenioque TUO.
Utile ſic miſces jucundo, & Sacra Profanis,
Annos dum Sacros, Hiſtoriaſque notas.
Gratulor hoſce *Tibi* FLORES, Cui nomina donant:
Cum mens DOCTORIS tam *Tibi* fixa manet.
Hanc TU magnifico victor ſtabilire triumpho
Perſtas, cum pergis dicta levare VIRI.
Sic TE componis vigilans ad praelia Sancta,
Demonſtrans Dextrae fortia geſta *Tuae.*
Ergo macte animo, coeptos abſolve labores:
Contende, & famae perge parare Decus.
Quid juvat ingemuiſſe? Aliquos ſenſiſſe dolores
BLOMME? Parant Laudem, Nomen ad aſtra ferunt.
NUMEN ut auxilium coelo demittat ab alto,
Succurratque *Tibi* ſupplice voce precor!

C. à WALCHEREN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
294 C 23